PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXVII - N. 1

1995

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS
Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1 IUNIO 1995

Semestrale Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos 3

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Sanctissimi quo Normae Rotales in forma specifica approbantur 9

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Instructio de Liturgia Romana et Inculturatione 10

ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae 30

Pontificii Consilii Publicationes 31

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii « De Institutis perfectionis » (Sessio X) 32

Coetus studii « De Institutis perfectionis » (Sessio XI) 79

Coetus studii « De Institutis perfectionis » (Sessio XII) 125

Notitiae 175

Opera a Consilii Bibliotheca recepta 176

II

COETUS STUDII «DE INSTITUTIS PERFECTIONIS»

Sessio XI

(dd. 3-8 maii 1971 habita)

Diebus 3-8 maii 1971, in Aula huius Pontificiae Commissionis convenerunt Consultores Coetus studii « De Institutis perfectionis » sub moderamine Rev.mi P. Bidagor S.I., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant Rev.mus P. Said, O.P., qui munere functus est Relatoris; Exc.mi tres ac Rev.mi octo Consultores. Nonnullis adunationibus interfuerunt quoque Rev.mi duo atque Ill.mus unus Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberant, quia legitime impediti, Exc.mus unus atque unus Rev.mus Consultores.

Ineunte sessione, Rev.mus Secretarius adstantibus salutem dicit atque Rev.mum Relatorem rogat ut materias de quibus in hac sessione disceptatio est facienda per summa capita exponat.

In mentem ergo adstantium Rev.mus Relator revocat praedictas quaestiones pertractandas sequentes esse:

1am) Tit. VIIum Primae Partis schematis, nempe « De separatione ab Instituto », et quidem Art. III et IV, de quibus in praecedenti Xa sessione non actum est quia tempus defuit;

2am) Tit. IVum eiusdem Primae Partis schematis nempe « De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione ». Hic enim Titulus, in approbatione schematis generalis « De Institutis perfectionis » « remissive » seu provisorio modo positus est, quia tunc adhuc ignorabatur num necessarium fuisset de hac materia normas particulares formulare. Haec ergo quaestio Coetui Consultorum « De bonis Ecclesiae temporalibus » posita est, qui Coetus sententiam tulit affirmativam; ideoque Parvus Coetus « De Institutis perfectionis » schema canonum apparavit, iudicio atque approbationi omnium Consultorum eiusdem Coetus nunc submittendum.

Post hanc brevem Relatoris introductionem, tempus utile datur Consultoribus ut Relationem conclusivam praecedentis sessionis perpendere valeant atque animadversiones, quas forte faciendas habeant, ante approbationem proponant. Item rogantur Consultores ut Relationem introducti-

vam ad hanc XI^{am} Sessionem attente perpendere velint, quia agitur de quaestione prima vice examinanda, nempe « De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione ».

Discussio ergo Consultorum initium habet per primam quaestionem a Relatore propositam, scilicet examen canonum « De dimissione ab Instituto » (Tit. VII, Art. III) atque « De conditione iuridica separatorum ab Instituto » (Tit. VII, Art. IV), qui omnes canones propositi iam fuerunt, sed non discussi, in fine praecedentis Sessionis (cf. Relatio conclusiva Sessionis X^{ae}, Adnexum).

I. DE DIMISSIONE AB INSTITUTO
(Tit. VII, Art. III)

Canones qui proponuntur in genere Consultoribus placent. Attamen Rev.mus primus Consultor dubitat num sit prudens suppressio processus iudicialis de quo in Cap. III, Tituli XVI, Libri II hodierni Codicis, praesertim quod attinet ad confirmationem sententiae ex parte Sanctae Sedis, quae hodie requiritur ad normam can. 666.

Animadversiones vero particulares ad singulos canones proponuntur. Qui canones ita sonant:

Canon quintus

§ 1. Sodalis qui, expleta cooptatione temporaria, eam renovare vel definitivam facere desiderat a competenti moderatore admittatur, nisi adsint iustae ac rationabiles causae sive ex parte Instituti sive ex parte candidati ad eum non recipiendum.

§ 2. Si vero sodalis ob infirmitatem physicam vel mentalem, etiam post cooptationem contractam, praevio peritorum iudicio, non ideoneus ad vitam in Instituto ducendam absque damno proprio vel eiusdem Instituti comperiatur, iusta habetur causa eum non admittendi ad ulteriorem cooptationem, salva semper caritate et aequitate.

Ut clarior distinctio habeatur relate ad canones de admissione in Institutum, Exc.mus secundus Consultor, cui accedit Rev.mus tertius, postulat diversam canonis redactionem: ex. gr. ut in § 1 loco « a competenti moderatore admittatur, nisi adsint iustae ac rationabilis causae... », dicatur « a competenti moderatore excludi possunt, si adsint iustae ac rationabiles causae... ».

Exc.mus quartus Consultor suggerit unionem huius canonis cum can. 6 (cf. Relatio conclusiva X^ae Sessionis, Adnexum),[1] quia materia duorum canonum similis est, nempe de dimissione eorum qui sunt temporarie tantum cooptati.

Non placent Exc.mo quinto Consultori verba § 1 « sive ex parte instituti sive ex parte candidati », quia — ait Exc.mus — hi duo casus non sunt in eadem linea.

Quaeritur a Rev.mo sexto Consultore ut in eadem § 1 addantur verba quae iam inveniuntur in Decreto S. Congr. de Religiosis et Institutis Saecularibus, diei 8 decembris 1970 (Prot. N. Sp. R. 44/70), nempe: « ... a competenti moderatore *de consensu sui Consilii...* ». Haec tamen additio Relatori Coetus non videtur necessaria quia admissio semper fit, in omnibus Institutis, a competenti moderatore de consensu sui Consilii.

Animadvertit Rev.mus septimus Consultor quod in § 2 fit tantum mentio de una possibili causa, dum etiam pro aliis utile quoque esset iudicium peritorum.

Rev.mus octavus Consultor proponit, quoad § 1, ut loco verbi « admittatur » adhibeatur expressio « dimitti non potest », ad mentem Exc.mi secundi Consultoris; servanda tamen censet verba « sive ex parte Instituti sive ex parte candidati », quia revera sunt quoque causae ob quas Institutum admittere non potest candidatum, ex. gr. ob rationes familiares vel politicas.

Rev.mus primus Consultor haec quae sequuntur suggerit: 1) prima pars § 1 canonis aptius ponatur inter normas de admissione in Instituto; 2) loco « desideret » dicatur « cupit »; 3) includatur clausula a Rev.mo sexto Consultore memorata, « de consensu sui Consilii », in hac § vel in nova § 3.

Fit suffragatio de hac ultima propositione Rev.mi primi Consultoris, et magis Consultoribus placet ut haec clausula non addatur, quia res aptius relinquenda videtur — ita Relator atque octavus et nonus Consultores — iuri particulari uniuscuiusque Instituti perfectionis.

Denique Rev.mus nonus Consultor ponit quaestionem de ordine canonum huius Art. III, atque suggerit ut formula proposita maneat uti canon separatus (can. 5), ponendus ante can. 6, dum can. 5 bis, ubi agitur de causis dimissionis in quibus culpabilitas adest ex parte candidati, meliorem invenit locum ante vel post canonem 8. Quaerit etiam Rev.mus ut in § 1 adhibeatur locutio « dimitti potest, si... ».

Rev.mi decimus et octavus Consultores censent quoque can. 5, de quo disceptatur, uniendum non esse cum can. 6, quia pro casibus de quibus in hoc ultimo canone agitur requiritur monitio praevia, etc.

[1] Cf. supra pp. 71-72.

Materiae duorum canonum sunt diversae, et differunt inter se modo sat substantiali. Causae dimissionis de quibus in can. 6 graviores esse debent quam causae pro non admissione, de quibus agitur in can. 5. Praeterea in primo casu habetur ius quaesitum in membris Institutorum, quod non ita clare apparet in casu non admissionis de quo sub formula can. 5.

His omnibus attentis, Rev.mus Relator sequentes proponit suffragationes:

1am) «Servetur formula proposita uti canon separatus, qui esset can. 5» = Exitus suffragationis est: Placet 10:

Non placet 3 (quartus, undecimus et sextus Consultores).

2am) «Textus § 1 huius can. 5 sit: 'Sodalis, expleta cooptatione temporaria, si adsint iustae ac rationabiles causae sive ex parte Instituti sive ex parte candidati, a competenti moderatore dimitti potest'».

Fit suffragatio et textus propositus omnibus placet.

Transitus fit ad discussionem § 2 canonis. Notat Rev.mus Relator hanc paragraphum non aliud esse quam declarationem iustae ac rationabilis causae de qua mentio fit in § 1. Attenta vero discussione quae iam habita est quoad textum § 1, sequentem textum emendatum Rev.mus Relator proponit pro § 2: «Infirmitas physica vel mentalis, etiam post cooptationem contracta, iustam constituit dimissionis causam, si praevio peritorum iudicio, sodalis non idoneus comperiatur ad vitam in Instituto ducendam absque damno proprio vel eiusdem Instituti».

Rev.mus octavus Consultor aliam proponit formulam quae ita sonat: «Etiam infirmitas physica vel mentalis, etsi post cooptationem contracta, propter quam iuxta peritorum iudicium sodalis de quo in § 1 non idoneus comperiatur ad vitam in Instituto ducendam, iustam constituit causam eum dimittendi».

Haec formula, quoad substantiam, Consultoribus magis placet. Attamen Exc.mus secundus Consultor duas facit animadversiones: 1am) servanda videtur locutio «absque damno proprio vel eiusdem Instituti», ad mentem Decreti S. Congr.de Religiosis et Institutis Saecularibus, diei 8 decembris 1970; 2am) quaedam verba addere oportet, prae oculis habita sequenti eiusdem Decreti locutione: «In his casibus diiudicandis caritate atque aequitate uti oportet».

Haec quae ab Exc.mo proposita sunt a maioritate Consultorum recipiuntur. Attamen Rev.mus duodecimus Consultor anceps manet quoad integram normam quae in § 2 traditur, quia — ait Rev.mus — locum daret abusibus.

Respondet Rev.mus Relator hanc normam substantialiter inveniri in

memorato Decreto S. Congregationis, quod datum est post experientiam quae habetur. Praetera — ait octavus Consultor prae oculis habendum est quod in formula proposita non agitur de infirmitate simpliciter, sed de infirmitate cum damno proprio vel Instituti.

Quaerit Exc.mus quartus Consultor quid eveniret si infirmitas daretur non expleta cooptatione temporaria, sed ante ipsius cooptationis temporariae expletionem. Respondet Rev.mus Relator rem tunc esse diversam, quia sodalis manet vinculis ligatus, ideoque requiritur causa gravior pro dimissione.

Denique proponitur a Rev.mis septimo ac primo Consultoribus ut loco «iuxta peritorum iudicium» dicatur «auditis peritis». Haec tamen propositio a ceteris Consultoribus non admittitur.

Ita expleta disceptatione quoad textum § 2 canonis, Rev.mus Relator suffragationi submittit sequentem formulam, quae omnibus placet: «§ 2. Etiam infirmitas physica vel mentalis etsi post cooptationem contracta, propter quam iuxta peritorum iudicium sodalis de quo in § 1 non idoneus ad vitam in Instituto ducendam absque damno proprio vel eiusdem Instituti comperiatur, iustam constituit causam eum dimittendi, servata semper caritate et aequitate».

Canon sextus

Textus qui proponitur est sequens:

§ 1. Sodales temporarie cooptati dimitti possunt a Supremo Instituti Moderatore de consensu sui Consilii, salvo insuper iure particulari.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

1) causae dimissionis, sive ex parte Instituti sive ex parte sodalis, sint graves, etsi non necessario culpabiles;

2) si causa sit culpabilis, monitiones scriptae factae fuerint et inutiles evaserint;

3) dimissio non fiat ob infirmam valetudinem, nisi morbus ante cooptationem dolose celatus fuerit vel sit psychopaticus quo sodalis ineptus redditur ad vitam in Instituto ducendam;

4) causae dimissionis sodali manifestatae sint in scriptis, data eidem plena libertate respondendi. Responsio sodalis, quae pariter in scriptis redigi debet, Supremo Moderatori eiusque Consilio submittenda est.

§ 3. In casu dimissionis ob morbum psychopaticum semper peritia medicorum scripto exarata requiritur.

Quoad § 1. Rev.mus Relator expungendam esse censet clausulam «de consensu sui Consilii», quia ipsa non videtur necessaria.

Rev.mus duodecimus Consultor postulat ut loco verborum «a Supremo Instituti Moderatore» adhibeatur formula «a Superiore Maiore», nisi in futuro Codice habeatur canon statuens Abbatem esse Supremum Moderatorem.

Ceteri vero Consultores, Exc.mo quarto excepto, quia ipse dubitat an § 1 sit revera necessaria, retinendam esse censent duplicem clausulam, nempe ut dimissio fiat a Supremo Moderatore et quidem cum consensu sui Consilii. Ista enim duplex clausula — uti memorat Rev.mus primus Consultor iam habetur sub formula canonis approbata in praecedenti sessione, pro egressu sodalis ab Instituto perdurante cooptatione temporanea (cf. Art. II, Tit. VII, can. 3 bis, § 2). His dictis accedit Rev.mus nonus Consultor, qui tamen animadvertit necessitatem revisendi omnes canones ubi clausula «de consensu sui Consilii» pro Supremo Moderatore statuta est, quia denuo perpendere oportet ubi revera talis clausula seu condicio ad validitatem requirenda sit. Denique Rev.mus octavus Consultor postulat ut in fine istius § 1 deleatur verbum «insuper».

Ita expleta discussione suffragatur textus § 1 uti iacet, sublato tamen verbo «insuper». Exitus suffragationis est: Placet 12; Non placet 1 (primus Consultor, qui non admittit clausulam finalem: salvo iure particulari).

Textus ergo approbatus ita sonat: «§ 1. — Sodales temporarie cooptati dimitti possunt a Supremo Instituti Moderatore de consensu sui Consilii, salvo iure particulari».

Transitus fit ad discussionem § 2 canonis, atque Exc.mus secundus Consultor cui accedit Rev.mus primus, proponit ut, in fine numeri primi, textus emendetur (ex. gr. «etsi sodalis non sit culpabilis»), vel simpliciter deleatur, quia causa ipsa dimissionis — ait Exc.mus — non potest, qua causa, esse culpabilis. Animadvertunt tamen Rev.mi octavus et nonus Consultores quod hoc iam clare subintelligitur in textu. Praeterea iste modus locutionis, nempe «causa culpabilis» vel «causa dolosa», etc., saepe adhibetur in doctrina iuridica, absque periculo erroneae interpretationis.

Quaerit Rev.mus duodecimus Consultor an sint casus in quibus locus detur dimissioni absque ulla praevia monitione. Respondet Rev.mus Relator quod si non habetur culpa locus ad monitionem evidenter non datur.

Censet Rev.mus sextus Consultor in tota § 2 specificandas esse conditiones et causas quae sunt ad validitatem dimissionis. Item censet Rev.mus primus Consultor, dum Rev.mus septimus postulat ut in n. 1°, de quo disceptatur, deleantur verba «sive ex parte Instituti sive ex parte sodalis».

Rev.mus nonus Consultor contrariam sententiam tenet ac Rev.mus

sextus, quia si causae et conditiones ad validitatem ponerentur, simul statueretur possibilitas recurrendi.

Nulla alia fit animadversio, quapropter suffragatur textus n. 1, § 2 uti iacet. Exitus suffragationis est: Placet 9, Non placet 4.

Quoad n. 2°, quaerunt Exc.mus secundus et Rev.mus primus Consultores an dicendum sit in textu quod monitiones faciendae sint atque tempus quod inter eas intercurrere debet. Hoc tamen ceteris Consultoribus non videtur necessarium, quia — uti ait Rev.mus Relator — hic non agitur de monitionibus canonicis (de quibus sermo postea fit, sub can. 7), sed tantum de simplicibus monitionibus, ut Moderator suum iudicium morale aptius efformare possit.

Suffragatur ergo textus uti iacet, et omnibus placet.

Ad n. 3, animadvertit Rev.mus Relator prae oculis habendum esse textum § 2 canonis praecedentis iam probatum. Dein, cum Exc.mus secundus Consultor notaverat « infirmam valetudinem » et « morbum » eamdem rem non esse, Relator proponit ut prima pars huius n. 3 ita exaretur: dimissio non fiat ob infirmam valetudinem, nisi ante cooptationem dolose celata fuerit... ».

Suffragatione facta hic textus ab omnibus recipitur, ideoque Rev.mus Relator sequentem redactionem proponit pro secunda parte huius numeri: « ... vel sit infirmitas physica vel mentalis qua sodalis ineptus redditur ad vitam in Instituto ducendam absque damno ipsius vel eiusdem Instituti ».

Ad mentem Rev.mi octavi Consultoris haec secunda pars n. 3 necessaria non videtur; sufficeret enim quod in prima parte iam statutum est. Obiicit tamen Relator hoc verum esse ante Instructionem *Renovationis causam*, sed, attentis normis huius Instructionis, temporaria cooptatio protrahi potest usque ad novem annos; et si habetur morbus quo sodalis ineptus redditur ad vitam in Instituto ducendam, magnae orirentur difficultates.

Rev.mus octavus Consultor his dictis accedit, sed anceps manet, quia — ait Rev.mus — si urget providere, tunc semper habetur possibilitas dispensationis.

Omnibus placet ut introducatur haec notio urgentis necessitatis, ideoque Rev.mus Relator sequentem proponit textum qui unanimiter approbatur: « ... vel de peritorum sententia urgeat necessitas dimissionis ad damnum sodali vel Instituto vitandum ».

Post huius textus approbationem cadit § 3 formulae canonis quae proposita est. Quapropter Rev.mus Relator suggerit, et omnibus placet, ut n. 4 § 2 fiat § 3.

Nulla fit animadversio ad hunc textum, sed, proponente Rev.mo pri-

mo Consultore, placet ut dicatur, in lin. 1, « manifestari debent » loco « manifestatae sint ».

Textus ergo §§ 2 et 3 ita manet approbatus:

« § 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

1) causae dimissionis, sive ex parte Instituti sive ex parte sodalis, sint graves, etsi non necessario culpabiles;

2) si causa sit culpabilis, monitiones scriptae factae fuerint et inutiles evaserint;

3) dimissio non fiat ob infirmam valetudinem, nisi ante cooptationem dolose celata fuerit, vel de peritorum sententia urgeat necessitas dimissionis ad damnum sodali vel Instituti vitandum.

§ 3. Causae dimissionis sodali manifestari debent in scriptis, data eidem plena libertate respondendi. Responsio sodalis, quae pariter in scriptis redigi debet Supremo Moderatori eiusque Consilio submittenda est ».

Canon septimus

Formula quae proponitur est sequens:

§ 1. Perpetuo cooptati dimitti possunt decreto Supremi Instituti Moderatoris de consensu sui Consilii, servato insuper iure particulari.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

1) causae dimissionis sint graves, culpabiles et iuridice comprobatae;

2) dimissioni praecesserint duae monitiones canonicae cum formali comminatione subsecuturae dimissionis;

3) causae dimissionis in monitionibus manifestatae fuerint, data sodali, post singulas monitiones, plena libertate sese defendendi sive personaliter sive per defensorem a se electum;

4) responsiones sodalis, scripto datae, actis alligentur quae Supremi Moderatoris eiusque Consilii examini submittenda sunt;

5) tres saltem menses ab ultima monitione data transegerint.

Ad textum § 1, Rev.mus Relator proponit sequentes parvas emendationes quae ab omnibus recipiuntur: dicatur « Definitive cooptati » loco « Perpetuo cooptati » (ne nimis repetatur verbum « perpetuo »); deleatur, in lin. 2, verbum « insuper », quia non videtur necessarium.

Ab omnibus quoque recipitur, excepto Rev.mo primo Consultore, pro-

positio Exc.mi quarti Consultoris, qui postulat ut dicatur «salvo» loco «servato» (1.2).

Denique, claritatis causa, placet omnibus sequens additio, a Rev.mo octavo Consultore proposita: «...Moderatoris cum consensu Consilii *de quo in can. 3 (ter) § 2, Art. II...*».

Textus ergo § 1 huius canonis ita manet approbatus: «Definitive cooptati dimitti possunt decreto Supremi Moderatoris cum consensu Consilii de quo in can. 3 (ter) § 3, Art. II, salvo iure particulari».

Quoad totam § 2, Rev.mus Relator, attentis quae disceptata et approbata sunt in discussione § 2 canonis praecedentis, proponit ut n. 4 huius can. 7 fiat § 3. Propositio Relatoris unanimiter recipitur, et transitus fit ad examen uniuscuiusque numeri § 2.

Ad n. 1 Exc.mus secundus Consultor denuo obiicit quod ipsa causa dimissionis, qua causa, non potest esse culpabilis. Dimissio — ait Exc.mus — saltem in familiis religiosis est poena (cf. can. 2215); poena supponit delictum, de quo tantum persona potest esse causa culpabilis. Haec principia, et etiam quae habentur in cc. 649 § 1 et 2233, applicanda in casu videntur, etsi non agitur de iure stricto poenali.

Fit parva discussio, in qua Rev.mi octavus et nonus Consultores, quibus et alii accedunt, denuo repetunt quae iam antea prolata sunt ad sustinendam locutionem «causae culpabiles».

Quaerit dein Rev.mus Relator an dicendum aptius sit «gravissimae causae» loco «causae graves», ad distinctionem faciendam cum formula canonis praecedentis, quae statuta est pro sodalibus temporarie tantum cooptatis. Obiicit tamen Rev.mus octavus, cui alii accedunt Consultores, hoc necessarium non esse. Facti species est revera diversa in utroque canone — ait Rev.mus — quia in can. 7 pro definitive nempe cooptatis, requiritur et culpabilitas et comprobatio iuridica, scilicet comprobatio in foro externo, quae condiciones iam ex se reddunt causas dimissionis revera graviores quam causas de quibus agitur in praecedenti can. 6.

Denique Rev.mus primus Consultor postulat ut deleantur verba «iuridice comprobatae», quia cum hac additione obscuratur sensus ipsius normae quae datur. Respondet tamen Rev.mus Relator, et haec responsio a ceteris Consultoribus accipitur, verba «iuridice comprobatae» esse necessaria et manere debere, quia per ipsa requiruntur probationes externae causae dimissionis. Utrum processus sit iudicialis necne — ait Rev.mus Relator — est res quae relinquitur iuri particulari, sed hic iam intenditur excludere, uti oportet, sic dictos processus «ex informata conscientia».

Nulla alia fit animadversio, ideoque suffragatur textus huius n. 1 § 2,

uti iacet in formula proposita. Exitus suffragationis est: Placet: 10, Non placet: 2 (septimus ac primus Consultores).

Ad n. 2, animadvertit Rev.mus octavus Consultor opportunum esse, claritatis causa, quaedam addere de defectu emendationis, etsi hoc iam subintelligitur in textu. Placet propositio, et ab omnibus approbatur sequens formula ab ipso Rev.mo proposita: « 2° dimissioni praecesserint, cum formali comminatione subsecuturae dimissionis, duae monitiones canonicae, quae in cassum cesserint ».

Ad n. 3, Rev.mus nonus Consultor proponit ut loco « defendendi... per defensorem » dicatur « defendendi... per procuratorem », dum Rev.mus Relator censet melius esse dicere: « ... defendendi, sive per se sive per alium ».

Locutio tamen « per alium » Rev.mo octavo Consultori non placet, quia potest intellegi ac si defensio fieri possit per quamcumque personam, etiam ex. gr. per advocatum civilem qui agat contra religionem. Proponit ergo Rev.mus ut dicatur « sive per se sive per consodalem », quod tamen ab aliis Consultoribus non recipitur.

Fit adhuc parva discussio, cuius in fine, reiecta alia formula a Rev.mo Relatore proposita (« sive per se sive per alium a Moderatore probatum »), sequens textus suffragationi submittitur et unanimiter approbatur: « 3) causae dimissionis sodali manifestatae fuerint, data eidem, post singulas monitiones, plena libertate sese defendendi ».

Ad n. 4 (antea n. 5) proponit Rev.mus nonus Consultor, cui accedit Rev.mus octavus, ut determinatio temporis quod decurrere debet ab ultima monitione iuri particulari relinquatur.

Propositio recipitur, et Rev.mus Relator hanc formulam suffragationi submittit. « 4) tempus utile a iure particulari statutum ab ultima monitione data elapsum fuerit ».

Haec formula omnibus placet.

Quoad § 3 (antea n. 4° § 2), proponitur a Rev.mo primo Consultore, et accipitur, ut loco « scripto datae » dicatur « scripto exaratae ». Nulla alia fit animadversio et textus approbatur uti iacet, cum supradicta emendatione.

Formula ergo quae pro hoc can. 7 definitive approbata est ita sonat:

§ 1. Definitive cooptati dimitti possunt decreto Supremi Moderatoris cum consensu Consilii de quo in can. 3 (ter) § 2, Art. II, salvo iure particulari.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

1° causae dimissionis sint graves, culpabiles et iuridice comprobatae;

2° dimissioni praecesserint, cum formali comminatione subsecuturae dimissionis, duae monitiones canonicae, quae in cassum cesserint;

3° causae dimissionis sodali manifestatae fuerint, data eidem, post singulas monitiones, plena libertate sese defendendi;

4° tempus utile a iure particulari statutum ab ultima monitione data elapsum fuerit;

§ 3. Responsiones sodalis, scripto exaratae, actis alligentur quae Supremi Moderatoris eiusque Consilii examini submittenda sunt.

CANON OCTAVUS (antea can. 5 bis)

Textus qui proponitur est sequens:

§ 1. Ipso facto habendus est tamquam legitime ab Instituto dimissus sodalis:

1) qui publice defecerit a fide catholica;

2) vir qui fugam arripuerit cum muliere vel mulier quae fugam arripuerit cum viro;

3) qui matrimonium, etiam civile tantum, contraxerit aut attentaverit.

§ 2. Ii de quibus in § 1 omnia iura in Instituto amittunt et ab omnibus obligationibus solvuntur, firmis oneribus sacro ordini adnexis.

§ 3. In his casibus sufficit ut moderator maior ad normam iuris particularis emittat declarationem facti. Probationes autem facti diligenter colligantur et serventur.

vel

§ 2. His in casibus sufficit ut moderator maior ad normam iuris particularis emittat declarationem facti; qua declaratione etiam sacra vincula et omnia alia iura et officia sodalis solvuntur, firmis oneribus sacro ordini adnexis. Probationes autem facti diligenter colligantur et serventur.

Antequam de singulis paragraphis canonis discussio instauretur, Rev.mus Relator ponit quaestionem generalem, nempe utrum sacra ligamina et onera quae in Instituto habent sodales finire debeant cum declaratione facta dimissionis, firmis tamen oneribus sacro ordini adnexis. Facta suffragatione, omnibus placet ut supradictum principium teneatur.

Quoad § 1, Rev.mus duodecimus Consultor notat quod, post monitio-

nem, emendari potest sodalis, dum textus n. 1 huius § 1 hanc possibilitatem emendationis videtur non contemplari, quia qui publice defecerit a fide « ipso facto » haberetur tanquam dimissus.

Respondet Rev.mus octavus Consultor aliud esse « contra fidem peccare », quod est actus, aliud vero « a fide catholica deficere », quod requirit pertinaciam. Hoc sensu iuridico textus canonis intelligendus est.

Quaerit Rev.mus tertius decimus Consultor quare mutata sit expressio « publici apostatae a fide catholica », quae habetur in can. 646, § 1, 1° hodierni CIC. Notio enim « apostatae » est clara. Respondet Rev.mus Relator hanc novam formulam selectam esse ad includendos etiam « haereticos publicos », quia incongruum videtur quod apostatae a fide ipso facto dimittuntur dum haeretici publici eadem sanctione canonica non puniuntur.

Rev.mus tertius decimus Consultor his dictis accedit, sed animadvertit quod semper requiri debet actio positiva pertinaciter posita; etiam si habetur declaratio auctoritatis competentis de errore dogmatico in quadam doctrina, hoc non sufficit ut ipso facto persona declaretur apostata vel haeretica, requiritur praeterea pertinacia.

In notione iuridica de qua agitur — ait Rev.mus Relator — iam subintelligitur haec pertinacia in errore, et quidem publice manifestata. Agitur enim de sodali qui scienter et volenter deficit a fide catholica, verbo aut opere, et quidem publice et pertinaciter. Potest tamen addi, claritatis causa: « qui publice et pertinaciter a fide catholica defecerit ». His dictis accedit, inter alios Consultores, Exc.mus quartus Consultor, qui postulat ut sublineetur « status » defectionis a fide potius quam « actus ».

Cum additio a Relatore proposita non omnibus neque maioritati Consultorum satis faciat, denuo instauratur discussio de hac re, in qua eadem plus minusve repetuntur argumenta. Denique Rev.mi sextus et octavus Consultores proponunt, et omnibus placet propositio, ut sumantur verba quae habentur in can. 197 CICO, nempe: « qui publice apostasiam, haeresim, schisma professus fuerit ».

Ad textum n. 2, Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur, brevitatis causa: « qui cum persona alterius sexus fugam arripuerit ».

Attamen notio « fugae » satis clare non apparet in disceptatione quae habetur, sive quoad eius contentum sive quoad eius durationem, sive denique quoad eius formam. Quapropter quaeritur ut relinquatur, et in eius loco aliae adhibeantur expressiones, uti ex.gr. « concubinatus », vel « publica conviventia cum persona alterius sexus ». Semper tamen requiri debet ut factum sit publicum atque iuridice probatum.

Proponit denique Rev.mus nonus Consultor ut materia huius canonis, sub qua etiam casus homosexualitatis praevideri debet, coniugatur cum

materia can. 8, qui agit de authomatica dimissione in casu imminentis gravis scandali.

Haec propositio ab omnibus recipitur. Can. 8, uti iacet, esset § 1; postea, uti § 2 ipsius can. 8 poneretur textus de quo disceptatio facta est, ad declarandos quosdam casus gravis scandali. Attamen approbatur ut omnes Consultores de re cogitent atque Relatori tradant suas propositiones ante finem huius sessionis.

Antequam ad examen transeatur schematis canonum Art. IV « De conditione iuridica separatorum ab Instituto », Rev.mus Secretarius quaerit num aliquis quaenam emendanda vel addenda postulare velit in textu Relationis conclusivae praecedentis sessionis.

Rev.mus nonus Consultor postulat ut in p. 8, lin. 18-19,[1] addatur argumentum a se propositum in animadversione facta, nempe in lege generali non iam afferri minuta definienda vel ad exemplum commemoranda. Textus canonis melior est quam can. 125 CIC in quo rosarium unicum est colendi Deiparam Virginem medium. In aliis hodiernis Ecclesiae legibus — ait Rev.mus — minora non iam imponuntur vel assumuntur; plura nunc libera relinquuntur ad fidelium libitum eorumque devotionem fovendam. In textu novi canonis appareat libera rosarii mariani recitatio, etiam partialis.

Rev.mus primus Consultor sequentes postulat emendationes: 1) in pag. 11, lin. 7 loco « nempe » dicatur « v. g. »;[2] 2) in p. 11, lin. 21-25 textus ita sonet: « ... obiectionem movet contra relaxationem votorum a moderatoribus laicalibus per decretum dimissionis, quia liberatio a votis videtur requirere potestatem ordinis ».[3] Respondet Exc.mus quartus decimus Consultor hanc quaestionem discussam esse in adunatione plenaria S.C. de Religiosis et Institutis Saecularibus, cum talis facultas concessa est superioribus localibus. Solutio votorum fiet a iure, non proprie a superiore laicali; 3) in pag. 14 haec addatur animadversio quoad § 2 textus propositi: « cum datur remissio ad saeculum (ut olim dicebatur) a Supremo moderatore alicui sodali sacerdoti, hic debet permanere sub speciali vigilantia Ordinarii loci a quo obtinere debet licentiam ad ministeria sacerdotalia exercenda ».[4]

Cum his propositis emendationibus, quae quidem recipiuntur, Relatio conclusiva X^ae^ sessionis suffragatur et approbatur. Transitus ergo fit ad discussionem canonum Art. IV, Tit. VII. Etiam hi canones propositi iam fuerunt in praecedenti sessione (cf. Relatio conclusiva X^ae^ sessionis, Adnexum), sed tempus defuit ad eorum examen incipiendum.

[1] Cf. supra, p. 38, lin. 20.
[2] Cf. supra, p. 40, lin. 29.
[3] Cf. supra, p. 41, lin. 20.
[4] Cf. supra, p. 43.

II. DE CONDITIONE IURIDICA SEPARATORUM AB INSTITUTO (Tit. VII, Art. IV)

CANON NONUS

Textus a parvo Coetu Consultorum propositus ita sonat:

§ 1. Quodlibet decretum dimissionis quamprimum sodali cuius interest communicetur, data eidem facultate recurrendi intra decem dies ad S. Sedem cum effectu suspensivo.

§ 2. Legitima dimissione ipso facto cessant omnia vincula necnon iura et obligationes ex cooptatione promanantia.

§ 3. De dimissis (vel quomodocumque ab Instituto separatis) fiat mentio in relatione annuali Sedi Apostolicae mittenda de qua in canone...

Proponente Exc.mo quarto Consultore, approbatur ut § 1 huius canonis uti can. 9 praecedentis Art. III, quia hoc in casu, etiam si dimissionis decretum iam datum sit, effectum iuridicum adhuc non habuit; recursus enim datur cum effectu suspensivo.

Animadvertit etiam Rev.mus octavus Consultor dicendum esse quod dimissio fit perdurantibus sacris vinculis, quia, si datur expletis vinculis, locus ad recursum non habetur.

Quaerit Rev.mus tertius decimus Consultor quare tantum detur spatium 10 dierum ad recursum faciendum. Respondet Rev.mus Secretarius hoc esse tempus utile ad normam can. 35 CIC.

Exc.mus secundus Consultor censet recursum dari debere per proprium Moderatorem. Animadvertunt tamen Rev.mi Secretarius et Relator hoc imponi non posse, neque videtur necessarium quia ipse sodalis iam de interposito recursu certiorem facere curabit Moderatorem. Si enim Moderator nescit quod recursus factus est, ad legitimam dimissionem intra decem dies procedere potest.

His attentis animadversionibus, sequens formula suffragationi submittitur: « Decretum dimissionis ad normam can. 6, 7 et 8 datum quamprimum sodali cuius interest communicetur, data enim facultate recurrendi intra 10 dies ad S. Sedem cum effectu suspensivo ».

Suffragatione facta, ab omnibus approbatur hic textus qui ponendus est uti can. 9 Art. III.

Quoad § 2, proponit Rev.mus nonus Consultor, et accipitur, ut transeat quoque ad can. 9, Art. III, uti § 2 huius novi canonis. Notat enim

Rev.mus una cum Exc.mo quarto Consultore, quod tam pro transitu quam pro egressu sodalis provisum iam est in Articulis praecedentibus: cf. Art. I, can. 2 et Art. II, can. 3 (quater).

Ad § 3 formulae propositae, censent Rev.mi Secretarius et primus Consultor quod sufficeret ut de hoc mentio fiat in canone iam facto de relatione ad Sanctam Sedem statuto tempore mittenda. Attamen maior pars Consultorum mavult ut hoc praescriptum maneat uti canon a se stans, etiam quia — uti ait Rev.mus Relator — iam tollitur in canonibus praecedentibus obligatio Instituti recurrendi ad S. Sedem pro dimissione sodalium qui perpetuo vel definitive cooptati sint.

Fit adhuc parva discussio, cuius in fine sequens formula approbatur ab omnibus pro canone qui ponendus est ultimo loco huius Art. IV:

« De sodalibus qui ab Instituto sunt quomodocumque separati fiat mentio in relatione Sedi Apostolicae mittenda de qua in canone... ».

Canon decimus

Textus propositus est:

§ 1. Sodalis in sacris constitutus, a proprio Instituto quomodocumque plene separatus, ad propriam dioecesim in qua incardinatus remansit redire debet. Qui incardinationem ad normam iuris amiserit, Episcopum inveniat qui eum ad sacrum ministerium exercendum admittat.

§ 2. Ita admissi, post triennium dioecesi plene incardinantur, nisi ab eodem Episcopo alii periodo probationis, quae triennium non superet, subiiciantur. Qua transacta, aut ab Episcopo recusentur aut ipso iure dioecesi plene incardinantur.

§ 3. Sodales in minoribus ordinibus constituti, qui ab instituto legitime dimittuntur vel separantur, ipso facto privantur iure exercendi ordines receptos.

Plures fiunt observationes ad textum § 1: magnas difficultates evenire possunt pro Episcopis ex praescripto « ad propriam dioecesim in qua incardinatus remansit redire debet » (Exc.mus quintus Consultor); casus speciales etiam prae oculis habendi sunt, ex. gr. psychopaticus qui dimittitur ab instituto perfectionis ante cooptationem definitivam; quare obligatio imponitur Episcopo eum recipiendi? (Exc.mus quartus Consultor); etiam si aliquis sodalis ab Instituto separatus non amittat incardinationem, licentiam ad sacrum ministerium exercendum semper obtinere de-

bet (Rev.mus nonus Consultor); distinctio facienda est inter Instituta quae facultatem habent incardinandi et Instituta quae hac carent facultate (Rev.mus Relator); Episcopi generaliter sunt contrarii ad recipiendos religiosos qui dimissi sunt, eos saepe admittunt ad exercendum ministerium, sed absque incardinatione (Exc.mus quartus Consultor); si, post experientiam, Episcopus benevolus sodalem dimissum non incardinat, potestne alius Episcopus cogi ut, eum in propriam recipiat dioecesim (Exc.mus quintus Consultor); post Instructionem *Renovationis causam*, cooptatio definitiva in Instituto longius remitti potest, ideoque forsan statuendus est numerus annorum cooptationis temporariae qui requiruntur ut Episcopus sodalem dimissum vel quomodocumque separatum recipiat et incardinet, ante hoc tempus eum recipiat ad ministerium exercendum absque incardinatione (Rev.mus Relator).

His aliisque huius generis prolatis sententiis, animadvertit Rev.mus Secretarius totam quaestionem de incardinatione et excardinatione profunde revisendam esse, et in hunc finem iam laborat coetus « De Sacra Hierarchia » nostrae Commissionis. Casus ergo de quibus in cann. 585 et 641 CIC intra hanc revisionem generalem instituti incardinationis perpendendi sunt. Proponit ergo Rev.mus Secretarius, et ab omnibus accipitur, ut eae quaestiones de instituto incardinationis ad competentem Coetum remittantur. In nostro vero canone statuenda quidem est necessitas quam sodalis ab Instituto quomodocumque plene separatus habet inveniendi Episcopum qui eum recipiat ad exercendum ministerium in dioecesi.

Praedicta sententia suffragatione probata, sequens proponitur textus a Rev.mo Relatore:

« Sodalis in sacris constitutus, a proprio Instituto quomodocumque plene separatus, ut sacrum ministerium exercere valeat ab aliquo Episcopo dioecesano licentiam recipere debet ».

Rev.mus nonus Consultor proponit, et accipitur, ut loco « ab aliquo Episcopo dioecesano » dicatur « a suo vel ab alio Episcopo dioecesano ». Ita praevidetur etiam casus eorum Institutorum saecularium in quibus clerici dioecesi manent incardinati.

Denique Rev.mus octavus Consultor proponit, et propositio quoque accipitur, ut dicatur « a suo vel ab alio Episcopo dioecesano admitti debet ad normam iuris », quia etiam hi qui incardinationem servant admitti debent ad ministerium.

Ita expletur disceptatio de § 1, et textus qui suffragatione ab omnibus probatur est sequens:

« § 1. Sodalis in sacris constitutus, a proprio Instituto quomodocum-

que separatus, ut sacrum ministerium exercere valeat a suo vel ab alio Episcopo dioecesano admitti debet ad normam iuris».

§ 2 vacat, attentis deliberatis in disceptatione de § 1.

Quoad § 3 (nunc § 2), propositio accipitur Rev.mi Relatoris ut hic textus uniatur cum textu § 1, ita ut formula totius canonis sit:

«Sodalis in sacris constitutus, e proprio Instituto legitime egressus vel ab eo dimissus, ut sacrum ministerium exercere valeat, a suo vel ab alio Episcopo dioecesano admittatur oportet ad normam iuris. Si vero in minoribus ordinibus constitutus sit, ipso facto privatur iure exercendi ordines receptos».

Haec formula in genere placet sed, ad mentem Rev.mi primi Consultoris, ita complentur verba in fine textus propositi: «... ipso facto privatur iuribus et liberatur ab officiis his ordinibus adnexis».

Textus ergo huius canonis ita manet definitive probatus:

«Sodalis in sacris constitutus, e proprio Instituto legitime egressus vel ab eo dimissus, ut sacrum ministerium exercere valeat, a suo vel ab alio Episcopo dioecesano admittatur oportet ad normam iuris. Si vero in minoribus ordinibus constitutus sit, ipso facto privatur iuribus et liberatur ab officiis his ordinibus adnexis».

Reditur ad examen can. 8 (Art. III)

Consultores, qui ad hanc quaestionem adhuc mature perpendendam invitati fuerunt,[1] Rev.mo Relatori tradunt respectivas propositiones. Formulae quae pro hoc momentoso canone proponuntur sunt sequentes:

A) «Supremus Moderatur de consensu sui Consilii, statim dimittere potest sodalem qui:

1) apostasiam, haeresim, schisma publice professus fuerit;

2) matrimonium, etiam civile tantum, contraxerit aut attentaverit;

3) culpabiliter causa fuerit gravissimi scandali exterioris vel gravissimi erga Institutum imminentis damni, si periculum sit in mora».

(Rev.mus octavus Consultor).

B) «§ 1. In casu gravis scandali vel nocumenti Instituto obvenientis sodalis statim potest a Supremo Moderatore, de consensu sui Consilii, dimitti.

[1] Cf. supra, p. 91.

§ 2. Grave scandalum habetur:

1) in professione publica apostasiae, haereseos vel schismatis ab Ordinario loci comprobata;

2) publica cum persona eiusdem vel alterius sexus illicita unio vel notum sexuale commercium;

3) matrimonium etiam civile contractum vel attentatum.

§ 3. Si autem periculum sit in mora, dimissio fiat a competenti moderatore maiore de consensu sui Consilii qui Supremum Moderatorem certiorem faciat eique quam primum acta transmittat».

(Rev.mus nonus Consultor).

C) «§ 1. Ipso facto habendus est tamquam legitime ab Instituto dimissus sodalis qui:

1) publice apostasiam, haeresim, schisma professus fuerit

2) vitam scandalosam arripuerit, inconciliabilem cum vita consecrationis evangelicae per vota aut alia sacra ligamina expressae. Itaque:

3) qui in materia castitati subjecta

a) matrimonium civile;

b) illicitas relationes sexuales habituales;

c) homosexualismum;

ineat;

qui in materia paupertatis

a) avaritiam flagrantem:

b) dilapidationem proprii aut aliaeni patrimonii

c) latrocinium

d) gravem negotiationem delictuosam paecuniae, aut alius rei praetio comparabilis

exerceat;

et circa obedientiam

a) rebellionem contra legitimos Superiores instruat vel exsequatur;

b) instituti Constitutiones, ex toto vel ex parte, obstinate reiiciat, in materia substantiali

ipso facto ab Instituto legitime dimittitur.

§ 2. Ii de quibus in § 1 omnia iura in Instituto amittunt et ab omnibus obligationibus solvuntur, firmis oneribus sacro Ordini adnexis.

§ 3. In his casibus sufficit ut Moderator maior, ad normam iuris particularis, emittat declarationem facti. Probationes autem diligenter colligantur et serventur.

§ 4. Si bonum commune Eclesiae aut Societatis civilis id exigerit, propoter scandalum datum, haec dimmisio publici iuris fiat».

(Rev.mus tertius Consultor).

D) «§ 1. Sodalis, qui publice defecerit a fide vel unitate catholica (vel qui publice in apostasia, haeresi vel schisma inciderit), vel matrimonium, etiam civile tantum, contraxerit vel attentaverit, vel alia gravissima delicta cum magno scandalo vel gravissimo Instituto nocumento patraverit, statim a Supremo Moderatore, cum consensu Consilii de quo in can. 3 (ter), dimitti potest.

§ 2. (forte omittendus) Si res ita urgeat, ut Supremum Moderatorem adire non possit sine periculo gravissimi scandali vel nocumento pro Instituto, decretum dimissionis a Moderatore maiore, cum consensu sui Consilii, dari potest. Res tamen quamprimum ad Supremum moderatorem referatur, cui exemplar actorum transmittendum est.

§ 3. (forte omittendus) In utroque casu, probationes factorum diligenter colligantur et per triennium (decennium) asserventur».

(Rev.mus primus Consultor).

E) «§ 1. In casu imminentis gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti Instituto obvenientis, si periculum sit in mora, sodalis statim potest a moderatore maiore, cum consensu sui Consilii, dimitti, ita tamen ut res quamprimum ad Supremum Moderatorem deferatur, cui exemplar actorum transmittatur.

§ 2. Eodem modo procedatur, dum sodalis matrimonium, etiam civile, contraxerit vel attentaverit.

§ 3. In casu vero, quo sodalis publice apostasiam, haeresim, schisma professus est — praevia declaratio S. Sedis circa hoc factum requiritur».

(Rev.mus sextus Consultor).

Post lectas has diversas propositiones Consultorum, incipit disceptatio in qua eae praesertim proferuntur sententiae ad seligendam formulam: oportet ut textus non exaretur forma exemplificativa (Rev.mus Secretarius et alii Consultores); etsi haberi possunt peccata non tantum contra castitatem (uti animadvertunt Exc.mus secundus et Rev.mus tertius Consultores), haec peccata innumerabilia possunt esse, ideoque oportet referre tantum peccata contra statum — nempe, quae ponunt extra Ecclesiam vel necessitatem ducunt

exeundi ex statu vitae consecratae —, atque praeterea actiones ex quibus gravia scandala oriuntur, etiam si peccatum non habetur (Rev.mi Relator atque octavus et nonus Consultores); mentio fieri deberet de imminentia tum scandali tum damni pro Instituto (Rev.mus nonus Consultor).

His attentis sententiis, seligitur formula a Rev.mo octavo Consultore proposita. Attamen quaeritur a Rev.mo Relatore utrum mentio tantum fieri debeat in canone de Supremo Moderatore, an ius dimittendi extendi possit his in casibus etiam ad Moderatores maiores et forsan locales.

Animadvertunt Rev.mi octavus et nonus Consultores, quibus et ceteri accedunt, hoc non esse necessarium quia semper adest possibilitas delegationis ex parte Supremi Moderatoris in iure particulari statuenda. Locutio enim quae adhibetur in canone est expressio potestatis Moderatoris Supremi, non agitur de reservatione. Quod dicitur sufficit in iure communi, ne canon fiat nimis minutus in his rebus.

Ad formulam concretam canonis, nn. 1 et 2 recipiuntur ab omnibus uti iacent. Quoad n. 3, Rev.mus nonus Consultor delenda censet verba « si periculum sit in mora », dum extolli deberet imminentia sive scandali sive damni. His dictis alii accedunt Consultores, et Rev.mus Relator sequentem proponit textum, qui approbatur ab omnibus (exceptis Exc.mo secundo et Rev.mo undecimo Consultoribus, qui se abstinent):

« 3° Culpabiliter causa fuerit imminentis et gravissimi vel exterioris scandali vel erga Institutum damni ».

Textus ergo huius can. 8 (Art. III), ita manet definitive probatus:

« Supremus Moderator de consensu sui Consilii, statim dimittere potest sodalem qui:

1) apostasiam, heresim, schisma publice professus fuerit;

2) matrimonium, etica civile tantum, contraxerit vel attentaverit;

3) culpabiliter causa fuerit imminentis et gravissimi vel exterioris scandali vel erga Institutum damni ».

Hoc probato textu, sequitur disceptatio de canonibus Art. IV.

Canon decimus primus

Formula quae proposita est ita sonat:

Erga sodales qui ab eo separantur, Institutum congruentem adhibeat curam eosque in caritate adiuvet ut vitam iuxta conditionem proprii status ducere possint, nisi aliunde ipsi sibimet providere valeant.

Rev.mus duodecimus Consultor dubitat de claritate verborum « nisi aliunde ipsi sibimet providere valeant ».

Accedit Rev.mus octavus Consultor ad cuius mentem canon uti iacet ansam praebere valet incertitudini. Rev.mus censet dicendum tantum esse quaedam huius generis: « Institutum debet sodales qui ab eo separantur prosequi plena aequitate et vera evangelica caritate ». Ita vitarentur nimiae determinationes, ne quis male interpretetur verba « ut vitam iuxta conditionem proprii status ducere possint ».

Cum his dictis partim concordat Rev.mus nonus Consultor, qui tamen expungendum esse censet verbum « plena » relate ad aequitatem de qua nunc agitur, quia videretur ac si aequitas de qua in aliis locis mentio fit non sit aequitas plena. Vitandum etiam putat in redactione textus numerum pluralem, quia sunt qui insimul exeunt ex Instituto, et hic agitur de iure personali, individuali.

Sequens ergo textus a Rev.mo Consultore proponitur:

« Institutum debet sodalem qui ab eo separatur prosequi plena aequitate et vera evangelica caritate, ut vitam honeste ducere possit, nisi proprio labore sibimet providere valeat ».

Exc.mus quiuntus Consultor postulat ut includatur in canone idea de adiuvando sodali ut ipse facile in societate civili inseri possit; item Exc.mus quartus Consultor quaerit ut dicatur sodalem transire debere ad locum diversum ab eo in quo ipse sodalis ante separationem degebat et suum ministerium exercebat. Alii vero Consultores, inter quos Rev.mi nonus et primus, contrarias sententias tenent, quia in hoc canone agendum tantum putant de principio generali, absque determinationibus particularibus; res enim diverse se habent pro Institutis religiosis et pro Institutis saecularibus.

Fit adhuc parva discussio, cuius in fine sequens formula a Rev.mo Relatore proponitur, prae oculis quidem habitis supradictis animadversionibus:

« Institutum aequitatem et evangelicam caritatem servet erga sodalem qui ab eo separatur necnon congruentem sollicitudinem adhibeat ».

Suffragatione facta, hic textus ab omnibus Consultoribus approbatur.

Ita disceptatione expleta de canonibus huius Art. IV, tit. VII, transitus fit ad examen schematis canonum qui a Parvo Coetu proponuntur pro Tit. IV: « De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione ».

III. DE BONIS TEMPORALIBUS INSTITUTORUM EORUMQUE ADMINISTRATIONE (Tit. IV)

Rev.mus Relator in mentem adstantium revocat quae de historia huius schematis iam dicta sunt in initio huius sessionis, atque legit rationes quae, ad explicandos canones schematis, inveniuntur in Relatione introductiva ab ipso Rev.mo Relatore apparata (cf. Adnexum). Dein quaerit quid Consultores in genere putent sive de titulo huius Tituli, sive de contentu canonum.

Quoad titulum, Exc.mus secundus Consultor censet aptius esse dicendum « De mediis ad sustentationem Institutorum ». Ceteris autem Consultoribus textus propositus placet, quia plura habentur bona quae non sunt ad sustentationem, sed ad opera apostolica perficienda (Rev.mus nonus Consultor), et quia administratio bonorum est actus technicus ideoque et locutione technica exprimi debet (Rev.mus octavus Consultor).

Quoad materiam huius Articuli proponit Rev.mus primus Consultor ut ampliore modo pertractetur, ad mentem n. 13 Decreti *Perfectae caritatis*, ne textus canonum sit nimis parcus in rebus quae praesertim in hodiernis adiunctis videntur magni momenti. Etiam Rev.mus tertius Consultor proponit ut quaedam sumantur notiones ex n. 73 Const. past. *Gaudium et spes*, relate ad paupertatem et eius valorem in vita evangelica.

Notant autem Rev.mi Relator atque octavus et nonus Consultores quod, attentis principio subsidiarietatis atque Institutorum diversitate, potius convenit ut textus sit parcus, normis particularibus relictis ad ius particulare. Textus praeterea de rebus praesertim technicis agere debet; in recto non agitur de paupertate etsi talis virtus quidem sit in spiritu normarum quae pro recta administratione dantur.

Quoad locum huius Tituli, Rev.mus Relator memorat iam esse approbatum quod canones de bonis eorumque administratione ponantur post canones « De regimine Institutorum », sed in Titulo speciali.

Suffragatione facta schema huius Tituli IV ab omnibus approbatur quoad substantiam.

Transitus ergo fit ad examen singulorum canonum.

Canon primus

Textus qui proponitur ita sonat:

« § 1. Bona temporalia Institutorum perfectionis sunt bona ecclesiastica et reguntur normis iuris patrimonialis generalis Ecclesiae, nisi aliud iure communi vel particulari expresse caveatur.

§ 2. Ob propriam indolem Instituti perfectionis, ius particulare definire, coarctare vel etiam excludere potest capacitatem possidendi, acquirendi et administrandi bona temporalia ».

Nulla fit animadversio ad § 1, quae ideo approbatur uti iacet.

Ad § 2 quaedam postulantur emendationes quae recipiuntur: in lin. 1 dicatur « Institutorum » loco « Instituti perfectionis », ad adhibendum numerum pluralem uti in § 1 (Rev.mus nonus Consultor); in lin. 3 ita fiat inversio verborum: « acquirendi, possidendi et administrandi », claritatis causa (Rev.mus secundus Consultor); deleri potest verbum « etiam », in lin. 2 (Rev.mus nonus Consultor).

His attentis emendationibus, canon ita manet ab omnibus probatus:

« § 1. Bona temporalia Institutorum perfectionis sunt bona ecclesiastica et reguntur normis iuris patrimonialis generalis Ecclesiae, nisi aliud iure communi vel particulari expresse caveatur.

§ 2. Ob propriam indolem Institutorum, ius particulare definire, coarctare vel excludere potest capacitatem acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia ».

Canon secundus

Textus propositus est sequens:

« Quodlibet Institutum in iure particulari normas aptas statuat de usu et administratione bonorum ad propriam paupertatem tuendam et exprimendam ».

Duae tantum fiunt animadversiones, quae recipiuntur absque discussione: 1) deleantur verba « in iure particulari », quia iam antea dicitur « Quodlibet Institutum » (Rev.mus primus Consultor); 2) textus ita compleatur in fine: « ... paupertatem fovendam, tuendam et exprimendam » (Rev.mus duodecimus Consultor).

Cum his receptis emendationibus, textus canonis ita manet approbatus:

« Quodlibet Institutum normas aptas statuat de usu et administratione bonorum ad propriam paupertatem fovendam, tuendam et exprimendam ».

CANON TERTIUS

Haec est formula proposita:

« Moderatores maiores et minores suum habeant oeconomum ad normam iuris particularis constitutum, qui, sub eorum auctoritate, administrationem bonorum gerat ».

Postulat Exc.mus quartus Consultor, cui accedit Rev.mus primus, ut ita compleatur textus: « Moderatores maiores et minores suum habeant *consilium admnistrationis vel saltem* oeconomum ». Ceteri autem Consultores hanc additionem non admittunt variis rationibus: consilium administrationis necessarium quidem est pro dioecesibus, sed in institutis perfectionis sufficit Consilium regiminis provinciale et locale, quod pro rebus oeconomicis vices agit Consilii administrationis (Rev.mus Relator); quae hic extollere desideratur sunt responsabilitas et facultates oeconomi, praeterea imponere Consilium administrationis pro parvis Institutis vel etiam in magnis Institutis pro parvis domibus non videtur congruum (Rev.mus Secretarius); immo huiusmodi impositio, qua entia multiplicarentur sine necessitate, esset quoque periculosa ob nimias quaestiones et discussiones pecuniarias quae oriri possent ex ipsa constitutione Consiliorum (Rev.mi octavus et nonus atque Ill.mus quintus decimus Consultores). His rationibus datis accedunt Exc.mus quartus et Rev.mus primus Consultores.

Exc.mus quintus Consultor quaerit num sub locutione « oeconomus » possit etiam intelligi laicus peritus, qui sodalis Instituti non sit. Respondet Rev.mus Secretarius quod non excluditur in textu ut ita eveniat, si ita opportunum ab Instituto iudicetur.

Censet Rev.mus duodecimus Consultor delendum esse, in lin. 1, verbum « suum » ad vitandas difficultates.

Respondent tamen Rev.mi Relator et nonus Consultor melius esse verbum retinere, quia expedit ut oeconomus sit persona determinata, et quidem unus oeconomus pro unoquoque Moderatore.

Nulla alia fit animadversio.

Suffragatur ergo textus huius canonis uti propositus est, et ab omnibus approbatur.

Canon quartus

Ita sonat formula proposita:

« Iuris particularis est, intra ambitum iuris communis, determinare quinam actus ordinariae administrationis finem et modum excedunt ».

Proponitur ab Exc.mo secundo Consultore, et emendatio recipitur, ut loco « excedunt » dicatur « excedant ».

Nulla alia fit animadversio. Facta suffragatione textus ita manet approbatus:

« Iuris particularis est, intra ambitum iuris communis, determinare quinam actus ordinariae administrationis finem et modum excedant ».

Canon quintus

Haec est formula proposita:

« Tempora et modo a iure particulari statutis, administratores regesta exhibeant et rationem reddant peractae administrationis ».

Rev.mus duodecimus Consultor quaerit num dicendum sit « oeconomi » loco « administratores ».

Respondet tamen Rev.mus Relator vocem « administrator » latius patere, quia potest etiam quandoque adesse Consilium administrationis; ita omnes qui quocumque modo partem habent in administratione rationem reddere debent, modo a iure particulari statuendo.

Rev.mus primus Consultor proponit ut deleatur locutio « regesta exhibeant » vel dicatur « libros exhibeant ». Quaestio tamen relinquitur latinistis.

Nulla alia fit animadversio ideoque, suffragatione facta, textus ab omnibus approbatur uti propositus est.

Canon sextus

Hic est textus qui proponitur:

« Salvo praescripto can. 34, §§ 1-2 (Schematis Coetus Studiorum « De iure patrimoniali Ecclesiae »), ad validitatem alienationis, quae valorem a Conferentia Episcoporum definitum excedat, consensus Apostolicae Sedis requiritur ».

Referentia ad can. 34, §§ 1-2 — animadvertit Rev.mus octavus Consultor — non videtur clara, uti fit in textu. Eamdem faciunt observationem alii Consultores, quapropter Rev.mus Relator hanc proponit emendationem, quae recipitur:

« Ad validitatem alienationis, quae valorem a Conferentia Episcopourm definitum ad normam can. 34 § 2 (schematis Coetus « De iure patrimoniali Ecclesiae) excedat, consensu Apostolicae Sedis requiritur ».

Rev.mus primus Consultor quaerit cur non applicetur hic tota regula can. 34, § 3 de alienationibus quorum valor excedat summam a Conferentia Episcopali statutam, ita ut si valor excedat duplo summam a Conferentia statutam, consensus requiri debeat ipsius Conferentiae non autem Sanctae Sedis.

Respondet Rev.mus Secretarius circumstantias variarum Conferentiarum Episcopalium et regionum esse valde diversas, atque formulationem ipsius § 3 can. 34 adhuc non esse absolute definitam in Coetu « De iure patrimoniali ». Praeterea concessio facultatis alienandi data Institutis a Conferentia Episcopali esset recognitio actus iurisdictionis Conferentiae in Instituta, quod conflictibus faveret.

His dictis accedunt Rev.mi Relator et octavus Consultor, qui animadvertunt quod haec summa a Conferentia Episcopali statuta sumitur in canone tantum modo indicativo. Si consensus requiratur Conferentiae, haberetur interventus commissionis specialis de qua in can. 34 § 2, quod esset absonum: etiam quia tali commissioni exigi non potest ut rationes accurate habeat exigentiae paupertatis propriae Institutorum perfectionis.

Fit adhuc parva discussio de hac re, cuius in fine suffragatione ab omnibus recipitur supradictus textus emendatus a Relatore propositus.

Canon septimus

Haec est formula proposita:

« In testimonium caritatis et paupertatis, Instituta, praescriptis iuris particularis servatis, largitiones et eleemosynas facere possunt ».

Exc.mus secundus Consultor proponit, et recipitur, sequens emendatio: «... *pro viribus* largitiones et eleemosynas *faciant*».

Exc.mus quartus Consultor censet textum ita aptius emendandum esse ad mentem n. 13 Decr. *Perfectae caritatis*:

« In testimonium (...) servatis, libenter ex propriis bonis aliquid conferant ad alias Ecclesiae necessitates et egenorum sustentationem ».

Rev.mus nonus Consultor animadvertit quod forsan sufficeret ut diceretur: «In testimonium (...) servatis, *congruas* largitiones et eleemosynas faciant», quia bona Institutorum etiam dari possunt ad fovenda opera bona civilia.

Memorat tamen Rev.mus Relator quod textus can. 26 schematis «De iure patrimoniali» modo prudentiali exaratus est. Dicitur enim: «Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est...». In canone nostro — ait Rev.mus — eadem vel maior prudentia servanda est, eo magis quod iam vitatus fuit in proposita formula modus negativus qui habetur in redactione can. 557 hodierni CIC.

His dictis a Relatore ceteri accedunt Consultores, quapropter sequens formula suffragationi submittitur et unanimiter approbatur:

«In testimonium caritatis et paupertatis, Instituta, praescriptis iuris particularis servatis, libenter pro viribus congruas elargitiones et eleemosynas faciant».

Ita ergo expletur discussio canonum Tit. IV «De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione».

* * *

Ita igitur conclusis laboribus huius XI^ae^ sessionis Coetus «De Institutis perfectionis», Em.mus Card. Felici, Commissionis Praeses, sequentes quaestiones adstantibus ponit:

1) Num possibile iam videatur, attentis laboribus ab hoc Coetu Consultorum hactenus peractis, aliquam legem generalem condere pro Institutis religiosis, antequam novus Codex Iuris canonici promulgetur. Etenim S. Congregatio de Religiosis et Institutis Saecularibus in praeparationem nunc incumbit documenti indolis doctrinalis circa vitam religiosam, sed valde opportunum etiam exsistimatur ut documentum iuridicum, naturae nempe normativae et disciplinaris, pariter promulgetur.

Exc.mus quartus Consultor et Rev.mi Secretarius necnon Relator, octavus ac nonus Consultores dicunt hac in sessione expletam esse elaborationem canonum qui proponuntur pro generali legislatione «De Institutis perfectionis». Attamen promulgatio huius partis non videtur adhuc opportuna, quia: *a)* legislatio haec generalis arctam servat connexionem cum parte speciali nondum elaborata, et pericula orirentur si separatim promulgaretur; *b)* quidam canones introductorii adhuc perfici debent; *c)* multae

normae quae in hac parte generali continentur (praesertim quae de Institutorum regimine deque sodalium efformatione agunt) approbatae inveniuntur in Constitutionibus Institutorum post Concilium recognitis, aut conditae iam fuerint in nonnullis Instructionibus generalibus et Decretis S. Congregationis (ex. gr. in Instr. *Renovationis causam*); unica forsan pars quae aliquid novi continet ea est in qua normae proponuntur « De separatione sodalium ab Instituto », at vero expedire non videtur ut hae normae prioritatem prae ceteris obtineant.

Cum his dictis alii concordant Consultores, quamquam omnes in haec consentiunt: *a*) expedit et possibile videtur — collatis quidem consiliis cum aliis coetibus Commissionis quibuscum materiae mixtae pertractantur — universam legislationem « De Institutis perfectionis » praeparare, ut ipsa ante novum Codicem promulgari valeat; *b*) expediret ut interdum S. Congregatio de Religiosis et Institutis saecularibus sententiam nostrae Commissionis exquireret circa omnia documenta iuridica quae conficere velit ad modificandas vigentes normas canonicas.

2) An in laboribus huius Coetus prae oculis habitum sit institutiones exsistere, inter Societates vitae communis et Instituta saecularia, quae tamen in novo Codice induere non desiderant formam Institutorum perfectionis. Hac de causa, forsitan expediret ut de Societatibus vitae communis deque Institutis saecularibus agatur in commissione mixta cum Coetu « De fidelium associationibus ».

Rev.mi Secretarius et Relator respondent exsistentiam talium quaestionum particularium consideratam iam fuisse, cum schema generale canonum « De Institutis perfectionis » in Sessione VI[a] proponeretur,[2] quod quidem schema Coetus nunc sequitur in suis laboribus. Approbatum est ut in nostro schemate clare exponatur et circumscribatur natura propria Institutorum vitae consecratae, ut in tuto ponatur charisma eorum proprium, quod Concilium iterum declaravit: professio nempe coram Ecclesia consiliorum evangelicorum paupertatis, castitatis et oboedientiae, et assumptio talis obligationis per vota aut alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata. Uti patet, ius Institutorum perfectionis — quorum authenticitas ac peculiaris natura theologica in tuto ponenda est — non exhaurit diversas alias formas exercendi ius associationis in Ecclesia. Quamobrem institutiones quae naturam non habeant Institutorum perfectionis suum proprium ius invenire debent in alia Codicis parte, ubi de ceteris associationibus agatur.

[2] Cf. *Communicationes*, XXV, 1993, 270-275.

3) An pars generalis schematis, quae iam elaborata est, communicari possit cum Unione Superiorum Generalium, ut suam proponat sententiam.

Rev.mi duodecimus et tertius decimus Consultores dicunt hoc possibile et opportunum esse. Ad mentem tamen Rev.mi Relatoris, cui accedunt Rev.mi octavus, nonus et alii Consultores, pars canonum iam apparata nondum sufficienter perpolita invenitur, ut tali examini subiiciatur; praeterea difficile est ut Unio Superiorum Generalium iudicium fundatum emittat de universo schemate, si solummodo perpendere valeat partem generalem, non autem partem specialem, quae adhuc conficienda est. Pars enim generalis normas tantum communes continet, dum in parte speciali locum invenient diversae formae concretae Institutorum vitae consecratae.

* * *

His omnibus pertractatis, Em.mus Praeses adstantibus gratias refert propter collaborationem quam in laboribus Commissionis praestant et propter opiniones manifestatas. Tandem, precibus de more dictis, Em.mus Praeses conclusam declarat hanc XI^{am} sessionem studii Coetus Consultorum « De Institutis perfectionis ».

Romae, die 8 maii 1971.

I. HERRANZ
Actuarius

CANONES IN XI[a] SESSIONE STUDII APPROBATI

Tit. VII: De separatione ab Instituto

Art. III: *De dimissione ab Instituto*

Can. quintus

§ 1. Sodalis, expleta cooptatione temporaria, si adsint iustae ac rationabiles causae sive ex parte Instituti sive ex parte candidati, a competenti moderatore dimitti potest.

§ 2. Etiam infirmitas physica vel mentalis etsi post cooptationem contracta, propter quam iuxta peritorum iudicium sodalis de quo in § 1 non idoneus ad vitam in Instituto ducendam absque damno proprio vel eiusdem Instituti comperiatur, iustam constituit causam eum dimittendi, servata semper caritate et aequitate.

Can. sextus

§ 1. Sodales temporarie cooptati dimitti possunt a Supremo Instituti Moderatore de consensu sui Consilii, salvo iure particulari.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

1) causae dimissionis, sive ex parte Instituti sive ex parte sodalis, sint graves, etsi non necessario culpabiles;

2) si causa sit culpabilis, monitiones scriptae factae fuerint et inutiles evaserint;

3) dimissio non fiat ob infirmam valetudinem, nisi ante cooptationem dolose celata fuerit, vel de peritorum sententia urgeat necessitas dimissionis ad damnum sodali vel Instituto vitandum.

§ 3. Causae dimissionis sodali manifestari debent in scriptis, data eidem plena libertate respondendi. Responsio sodalis, quae pariter in scriptis redigi debet, Supremo Moderatori eiusque Consilio submittenda est.

Can. septimus

§ 1. Definitive cooptati dimitti possunt decreto Supremi Moderatoris cum consensu Consilii de quo in can. 3 (ter) § 2, Art. II, salvo iure particulari.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

1) causae dimissionis sint graves, culpabiles et iuridice comprobatae;

2) dimissioni praecesserint, cum formali comminatione subsecuturae dimissionis, duae monitiones canonicae, quae in cassum cesserint;

3) causae dimissionis sodali manifestatae fuerint, data eidem, post singulas monitiones, plena libertate sese defendendi;

4) tempus utile a iure particulari statutum ab ultima monitione elapsum fuerit.

§ 3. Responsiones sodalis, scripto exaratae, actis alligentur quae Supremi Moderatoris eiusque Consilii examini submittenda sunt.

Can. octavus

Supremus Moderator de consensu sui Consilii, statim dimittere potest sodalem qui:

1) apostasiam, heresim, schisma publice professus fuerit;

2) matrimonium, etiam civile tantum, contraxerit vel attentaverit;

3) culpabiliter causa fuerit imminentis et gravissimi vel exterioris scandali vel erga Institutum damni.

Can. nonus

Decretum dimissionis ad normam can. 6, 7 et 8 datum quamprimum sodali cuius interest communicetur, data eidem facultate recurrendi intra decem dies ad S. Sedem cum effectu suspensivo.

Art. IV: *De conditione iuridica separatorum ab Instituto*

Can. decimus

Sodalis in sacris constitutus, e proprio Instituto legitime egressus vel ab eo dimissus, ut sacrum ministerium exercere valeat, a suo vel ab alio Episcopo dioecesano admittatur oportet ad normam iuris. Si vero in minoribus ordinibus constitutus sit, ipso facto privatur iuribus et liberatur ab officiis his ordinibus adnexis.

Can. decimus primus

Institutum aequitatem et evangelicam caritatem servet erga sodalem qui ab eo separatur necnon congruentem sollicitudinem adhibeat.

Can. decimus secundus

De sodalibus qui ab Instituto sunt quomodocumque separati fiat mentio in relatione Sedi Apostolicae mittenda de qua in canone...

Tit. IV: De bonis temporalibus institutorum eorumque administratione

Can. primus

§ 1. Bona temporalia Institutorum perfectionis sunt bona ecclesiastica et reguntur normis iuris patrimonialis generalis Ecclesiae, nisi aliud iure communi vel particulari expresse caveatur.

§ 2. Ob propriam indolem Institutorum, ius particulare definire, coarctare vel excludere potest capacitatem acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia.

Can. secundus

Quodlibet Institutum normas aptas statuat de usu et administratione bonorum ad propriam paupertatem fovendam, tuendam et exprimendam.

Can. tertius

Moderatores maiores et minores suum habeant oeconomum ad normam iuris particularis constitutum, qui, sub eorum auctoritate, administrationem bonorum gerat.

Can. quartus

Iuris particularis est, intra ambitum iuris communis determinare quinam actus ordinariae administrationis finem et modum excedant.

Can. quintus

Tempore et modo a iure particulari statutis, administratores regesta exhibeant et rationem reddant peractae administrationis.

Can. sextus

Ad validitatem alienationis, quae valorem a Conferentia Episcoporum definitum ad normam can. 34, § 2 (Schematis Coetus «De iure patrimoniali Ecclesiae») excedat, consensus Apostolicae Sedis requiritur.

Can. septimus

In testimonium caritatis et paupertatis, Instituta, praescriptis iuris particularis servatis, libenter pro viribus congruas elargitiones et eleemosynas faciant.

Adnexum

RELATIO NONA

Tit. IV: De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione

I. Prooemium

1. Schema generale iuris «De Institutis perfectionis», a nostro Coetu Studiorum approbatum, in sua parte generali exhibet titulum quemdam quartum qui rubricam suprapositam habet. Post hanc tamen rubricam apparet inter uncos positum vocabulum: «remissive». Verbum hoc additum fuit quia, tempore approbationis Schematis Generalis, Rev.mi Consultores nostri Coetus Studiorum adhuc ignorabant num necessarium fuisset de bonis temporalibus Institutorum Perfectionis ac de eorum administratione in hac parte normas formulare. Habebatur enim specialis Coetus Studiorum cui concreditum erat normas respicientes bona Ecclesiae temporalia recognoscere. Hic Coetus Studiorum vocatur: «De iure patrimoniali Ecclesiae». Habebatur tunc tendentia inter Consultores ut normae quae agunt de bonis temporalibus, et non modo de bonis Ecclesiae tam universalis quam particularis sed etiam de bonis temporalibus diversorum Institutorum, associationum et personarum moralium in genere, unam in sectionem novi Codicis collegerentur etiam in commodum illorum qui has normas applicare deberent.

2. Quapropter, quaestio a variis Coetibus Studiorum, quibus competebat, proposita fuit Coetui Studiorum «De iure patrimoniali Ecclesiae» num peculiares normae circa bona temporalia diversorum institutorum, associationum et personarum moralium in genere in Schema canonum «De iure patrimoniali Ecclesiae» inserendae essent. Re mature considerata a Consultoribus illius Coetus Studiorum, responsum est normas, quae vere peculiares sint, inter canones Schematis generalis «De iure patrimoniali Ecclesiae» locum invenire nec debere nec posse. Huiusmodi namque normae peculiares profluere debent ex speciali natura et fine dictorum Institutorum, associationum vel aliarum personarum moralium. Unde clarum videtur has normas in schemate generali absque incommodo et incongruita-

te poni non posse. Praesuppositis igitur principiis et praescriptis indolis generalis in schemate generali positis, normae peculiares in schemata introduci debent quae de dictis institutis associationibus vel personis moralibus agunt. Hae normae peculiares vel principia generalia ad situationem particularem Institutorum, associationum et personarum moralium applicabunt vel aliquas necessarias derogationes constituent iuris generalis patrimonialis Ecclesiae quae iustificari possent motivo indolis peculiaris vel finis specialis finis eorum.

3. Sicut mos est iam a pluribus annis, restricta commissio nostri Coetus Studiorum coadunata est medio mense Martio ad examen schematis partialis canonum faciendum quod postea discussioni universi Coetus subiiciendum erit. Hac nacta occasione, Rev.mi Consultores parvae commissionis ad trutinam revocaverunt responsionem datam a Consultoribus Coetus Studiorum « De iure patrimoniali Ecclesia », de qua in praecedenti numero, et rem totam cum rationibus allatis mature consideraverunt. Post hoc examen Consultores parvi Coetus ad eamdem conclusionem devenerunt ac Consultores Coetus Studiorum « De iure patrimoniali Ecclesiae», quia motiva ab his adducta valida apparuerunt. Indoles peculiaris Institutorum perfectionis, praesertim propter observatiam consilii evangelici paupertatis ad quam omnes sodales cuiusvis Instituti tenentur, absque dubio exigit quasdam normas speciales in campo de bonis temporalibus eorumque administratione. Ex hac tamen consideratione minime licet consequentiam exaggeratam deducere, quae in schema canonum « De Institutis perfectionis » vellet systema completum de bonis temporalibus et de eorum administratione introducere. In iure potissimum nefas est entia multiplicare absque necessitate. Consultores parvi Coetus concordes fuerunt quoad sequentem enunciationem: Sicut omnes aliae sectiones iuris canonici, ita etiam ius Institutorum Perfectionis praesupponit, in quaestione de bonis temporalibus et de eorum administratione, normas generales traditas in parte « De iure patrimoniali Ecclesiae ». Has igitur normas moderatores et sodales Institutorum perfectionis regulariter applicare debent, exceptis tamen casibus in quibus normae peculiares in ipsum ius commune vel particulare Institutorum introductae applicandae sunt.

4. Prae oculis habitis praecedentibus considerationibus, nemo certe miretur si inveniet numerum exiguum canonum in hac parte iuris Institutorum perfectionis de bonis temporalibus et de eorum administratione tractantium. Plerumque enim moderatores et oeconomi vel alii administratores in negotiis gerendis non egent aliis normis praeter illas in parte gene-

rali « De iure patrimoniali Ecclesiae » positas. Non tam numerosi erunt casus in quibus huiusmodi normae non sufficient et adhibendae erunt normae specificae in parte nostra positae. Praeterea, normae nunc formulandae latissimae esse debent quia in parte generali schematis ponendae sunt et propterea omnibus Institutis eorumque sodalibus applicabiles esse debent. In parte speciali schematis probabiliter quaedam normae magis specificae erunt introducendae quoad bonorum usum et administrationem propter exigentias particulares alicuius categoriae Institutorum Perfectionis. De his tamen sermo erit tempore opportuno. Cum Codex vigens in Parte Secunda Libri II agat solummodo « De Religiosis », plura praescripta, quae in Capite schematis evidenter locum invenire non possunt, quia nimis particularia sunt et pluribus Institutis perfectionis inapplicabiles. Ita can. 533, 535.

5. In adunatione Consultorum parvi Coetus, quaestio etiam mota est ab infrascripto Relatore circa *locum* tribuendum paucis canonibus de iure patrimoniali institutorum in parte generali schematis approbati. Tres possibiles solutiones quaestionis examinatae sunt. Possent canones speciales de bonis temporalibus institutorum constituere caput quoddam speciale Tituli III « De Institutorum regimine », sicut in Codice vigenti (cf. Tit. X, Caput III, De bonis temporalibus eorumque administratione, cann. 531-537). Pro hac solutione militat indoles canonum qui statuunt praescripta circa administrationem et usum bonorum temporalium in Institutis perfectionis. Codificatores Codicis Iuris Canonici talia praescripta consideraverunt tamquam ad regimen religionum pertinentia, saltem sub quodam aspectu. Hoc evincitur ex loco in quo canones praefati positi sunt. Haec tamen ratio non est nimis urgenda. Etsi verum est hos canones sub quodam aspectu dici posse ad regimen Institutorum pertinere, sub alio tamen aspectu materiam distinctam constituunt. Fuerunt quidam qui voluerunt hos canones ponere in fine partis generalis Schematis generalis veluti in quadam appendice. Haec tamen solutio non placuit quia praescripta huiusmodi integraliter pertinent ad vitam et ordinationem Institutorum. Omnes igitur Consultores parvi Coetus concordes fuerunt ut istis canonibus reservaretur titulus peculiaris, sicut iam propositum fuerat in Schemate approbato, et voluerunt ut hic titulus immediate poneretur post titulum « De regimine institutorum » propter materiam affinem. Canones igitur de bonis temporalibus, de usu et administratione eorum apparebunt sub Titulo IV Partis Generalis Schematis et rubrica tituli erit: « De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione ».

II. Schema canonum

Canon primus

§ 1. Bona temporalia Institutorum perfectionis sunt bona ecclesiastica et reguntur normis iuris patrimonialis generalis Ecclesiae, nisi aliud iure communi vel particulari expresse caveatur.

§ 2. Ob propriam indolem Instituti perfectionis, ius particulare definire, coarctare vel etiam excludere potest capacitatem possidendi, acquirendi et administrandi bona temporalia.

Notae:

a) In § 1 enuntiatur norma clara quae iam exposita est in Prooemio quaeque totum ius patrimoniale Institutorum perfectionis afficit. Administratores nempe Institutorum, sive moderatores sint sive oeconomi, in negotiis gerendis observare debent praescripta quae posita sunt in illa parte Codicis recogniti quae agit de iure patrimoniali Ecclesiae in genere. Ratio est quia bona Institutorum perfectionis sunt bona ecclesiastica propter constitutionem Institutorum in personas ecclesiasticas morales momento quo a competenti Auctoritate ecclesiastica eriguntur vel approbantur. Quapropter, normae ab Ecclesia statutae pro administratione patrimonii ecclesiastici etiam bonis temporalibus Institutorum applicantur.

b) Attamen — sicut iam dictum est in prooemio — huiusmodi Instituta perfectionis, tam simul sumpta, seu in quantum constituunt specialem categoriam associationum seu personarum moralium in Ecclesia, quam singillatim considerata, quasdam speciales necessitates habere possunt in hac parte et ideo ponitur exceptio in prima paragrapho: « nisi aliud... expresse caveatur ». Normae specificae quae universam categoriam Institutorum perfectionis respiciunt ponuntur praecisae in hoc Titulo. Normae vero quae forsan aliquam specialem sectionem Institutorum perfectionis respicient, v. gr. monachorum vel Institutorum Saecularium, in parte speciali Schematis Generalis « De Institutis Perfectionis » ponendae erunt. Omnes normae hucusque indicatae sunt normae iuris communis. Et propterea dicitur in § 1: « nisi aliud iure communi... expresse caveatur ». Agitur de iure communi patrimoniali pro Institutis perfectionis specialiter lato, cuius praescripta possunt esse iuxta, praeter vel etiam contra praescripta iuris patrimonialis ecclesiastici generalis. Sed et quodlibet Institutum perfectionis, attenta propria indole, fine et operibus apostolatus in quibus eius sodales occupantur, in suo iure particulari normas circa administrationem proprii patrimonii statuere debet, quae, approbante competenti auctoritate, etiam iuri communi derogare possunt. Unde in prima paragrapho ius particulare contrarium salvatur.

c) Instituta, quae sub nomine Institutorum perfectionis veniunt vel venire possunt, tam inter se diversa sunt ut in iure communi nonnisi generalia praescripta quoad

ius patrimoniale eorum includi possint. Hoc ob motivum ius particulare — etiam in re patrimoniali — specificum assumit momentum quia ius commune applicare debet ad exigentias particulares cuiusque Instituti. Immo, non raro peculiaris indoles alicuius Instituti necnon alia elementa et adiuncta postulare videntur quasdam derogationes a praescriptis iuris communis etiam in hac re. Hoc accidere potest vel ob peculiarem formam gubernii vel ob finem peculiarem Instituti vel ob exiguum numerum membrorum aut communitatum vel ob traditionem a Fundatoribus acceptam vel ob modum peculiarem observandi consilium evangelicum paupertatis, etc. Propterea in § 2 huius canonis fit facultas Institus ut, attenta indole et aliis adiunctis eorum, valeant, in proprio iure particulari, «definire, coarctare vel etiam... excludere capacitatem possidendi, acquirendi et administrandi bona temporalia». Evidenter huiusmodi coarctationes vel exclusiones iuris regulariter non respiciunt ipsum Institutum sed partes eius, quae ad normam iuris communis deberent esse personae morales cum capacitate dominii et administrationis bonorum temporalium, licet habeantur quoque Instituta in quibus ius dominii exclusum manet, uti sunt Fratres Minores Observantes.

d) Can. 10 approbatus in Schemate Coetus Studiorum «De iure patrimoniali Ecclesiae» statuit quamlibet personam moralem, tam publicam quam privatam, in Ecclesia legitime erectam «esse subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi». Propterea necessarium non videtur in hac parte iterum referre hoc praescriptum sicut fit in can. 531 Codicis vigentis. Esset mera repetitio.

Canon secundus

Quodlibet Institutum in iure particulari normas aptas statuat de usu et administratione bonorum ad propriam paupertatem tuendam et exprimendam.

Nota:

Post expositionem factam in notis praecedentis canonis, pauca sunt addenda pro intelligentia huius secundi canonis. Normae generales in iure patrimoniali Ecclesiae praescriptae, sub uno aspectu debent cuilibet Instituto applicari — et hoc est proprie munus iuris particularis — et sub alio cum quadam immutatione et derogatione Institutis adaptari, attenta eorum peculiari indole et fine, sicut dictum est supra. Et etiam hoc pertinet definire ad ius particulare. Insuper, notum est usum et administrationem bonorum temporalium intimas habere relationes cum exercitio paupertatis ad quam sodales cuiuslibet Instituti tenentur. Hoc tamen exercitium paupertatis non parum pendet in sua modalitate ab indole, fine et aliis adiunctis Instituti et conditionibus etiam socialibus in quibus sodales vitam agunt. Propterea est onus Auctoritatis competentis Instituti normas aptas eidem Instituto et sodalibus tradere circa usum et administrationem bonorum temporalium ut exercitium genuinum paupertatis in illo Instituto opportunis cautelis tueatur et servetur. Tandem, Patres Concilii non solum

singulis sodalibus sequentia commendant: « Paupertas voluntaria propter Christi sequelam cuius est signum praesertim hodie multum aestimatum a religiosis diligenter excolatur atque, si opus sit, novis etiam formis exprimatur » (Decr. *Perfectae Caritatis* 13), sed etiam haec statuunt: « Instituta ipsa, ratione habita singulorum locorum, testimonium paupertatis quasi collectivum reddere satagant... » (Ibid.). Evidenter huiusmodi expressio vel testimonium paupertatis requirunt ordinationem sat oculatam, cum agatur de re delicata et difficili. Haec autem regulatio seu ordinatio dumtaxat a iure particulari apte fieri potest.

Canon tertius

Moderatores maiores et minores suum habeant oeconomum ad normam iuris particularis constitutum, qui, sub eorum auctoritate, administrationem bonorum gerat.

Notae:

a) In Codice Iuris Canonici agitur de constitutione oeconomi in religionibus in can. 516, §§ 2-4. Haec praescripta, quae videntur extendenda omnibus Institutis perfectionis, ad particularia nimis descendunt et videntur indigere quadam simplificatione. Hanc parvus Coetus conatus est facere in hoc canone.

b) Ad vitandam introductionem abusuum ex concessione facta in can. 516, § 3 quoad cumulationem offici Superioris localis cum illo oeconomi localis, Consultores parvi Coetus de hac concessione in canone supraposito mentionem facere noluerunt. Putaverunt tamen huiusmodi cumulationem impossibilem non esse, etsi non commendandam, ex eo quod constitutio oeconomi relinquatur determinanda iuri particulari.

c) Can. 516, § 2 praescribit ut omnes oeconomi « officio suo fungantur sub directione Superioris ». Consultoribus autem parvi Coetus opportunum visum est verbum « auctoritate » adhibere loco « directione ». Verbum « auctoritas » videtur habere significatum magis amplum et melius adaptari ad significandas relationes inter moderatores et oeconomos intercurrentes. Oeconomus proprium munus habet et non est veluti vicarius vel delegatus moderatoris. Habet propriam responsabilitatem coram communitate, etsi in munere adimplendo nullo modo est authonomus vel liber ab auctoritate moderatoris et etiam aliorum — scilicet Consilii — iuxta determinationem iuris particularis, cui omnia alia relinquuntur determinanda propter summam diversitatem Institutorum et adiunctorum.

Canon quartus

Iuris particularis est, intra ambitum iuris communis, determinare quinam actus ordinariae administrationis finem et modum excedunt.

Notae:

a) Can. 532, § 2 Codicis vigentis statuit: « Expensas et actus iuridicos ordinariae administrationis valide, praeter Superiores, faciunt, intra fines sui muneris, officiales quoque, qui in constitutionibus ad hoc designantur ». Et haec norma prudens est. Sed cum in Codice recognito, magna cum probabilitate, habebitur can. 22 Schematis Coetus Studiorum « De iure patrimoniali Ecclesiae », non videtur necessarium praescriptum can. 532, § 2 iamiam transcriptum inter hos canones retinere. Nam in § 2 propositi can. 22 statuitur: « Administratores invalide ponunt actus qui fines modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem scripto dandam impetraverint ». Nomine Ordinarii heic intelligi debet non tantum Superior maior in religionibus clericalibus exemptis, sed etiam omnes alii moderatores maiores in Institutis perfectionis.

b) Quamvis res sat ardua sit definire quinam actus « ordinariae administrationis finem et modum excedunt », quia elenchus horum actuum numquam definitum fuerat, necessarium videtur pro quolibet Instituto definire saltem illos actus extraordinariae administrationis qui poni debent quadam cum frequentia in illo Instituto. Ceterum, in statutis Institutorum solent determinari quinam actus possint libere poni a moderatore vel oeconomo et quinam sint pro quibus consensus consilii vel capituli vel altioris moderatoris requiritur. Necessitas huiusmodi determinationis clara est ex poena invaliditatis actus extraordinariae administrationis, qui ponitur abque requisitis conditionibus. Ius tamen particulare in hac determinatione facienda attendere debet ad praescripta iuris communis in hac parte, secus determinatio potest esse illegitima et forsan etiam invalida. Propter hoc introducta est clausula: « intra ambitum iuris communis ».

Canon quintus

Tempore et modo a iure particulari statutis, administratores regesta exhibeant et rationem reddant peractae administrationis.

Nota:

In Titulo III: « De administratione bonorum » Schematis propositi a Coetu Studiorum « De iure patrimoniali Ecclesiae » et praesertim in cann. 21-31 huius Schematis plures obligationes administratorum enumerantur, inter quas habentur sequentia praescripta: (can. 25, § 2, 6°) « Omnes administratores bonorum ecclesiasticorum... debent: 6° accepti et expensi libros bene ordinatos habere; 7° rationem administrationis conclusivam quotannis componere atque ad Ordinarium transmittere ». (Can. 28, § 1) « Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici quorumvis bonorum ecclesiasticorum, quae ex Ordinarii loci iurisdictione non sint legitime subducta, singulis annis officio tenentur rationes Consilio administrationis exhibendi, quod examine peracto, eas Ordinario tradat ». Mutatis mutandis, haec

praescripta etiam administratoribus Institorum perfectionis applicantur. Quapropter, quoad obligationes administratorum in hac parte speciali vix quidquam videretur adiungendum. Hoc tamen non obstante, Consultoribus parvi Coetus opportunum visum est hunc canonem quintum in Titulo IV includere duplex ob motivum. Imprimis, obligatio exhibendi regesta et reddendi rationem administrationis peractae strictissime est urgenda ad abusus praecavendos. Unde, absonum non videtur normam hanc specialiter Institutis perfectionis eorumque sodalibus applicare, etiamsi modo generali in iure patrimoniali generali Ecclesiae praescriptum iam fuerit inclusum. Non est etiam obliviscendum quod in fere omnibus Institutis perfectionis — etiam propter obligationem observandi paupertatem collectivam et propter obligationes sodalium ex consilio evangelico paupertatis exsurgentes — praxis habetur iure particulari regulata quae exhibitionem regestorum et redditionem rationis administrationis frequentius iubet quam in propositis normis generalibus iuris patrimonialis ecclesiastici exigitur. Propterea necessarium videtur hunc canonem hic adiungere ut strictiora praescripta iuris particularis servari possint.

Canon sextus

Salvo praescripto can. 34, §§ 1-2 (Schematis Coetus Studiorum «De iure patrimoniali Ecclesiae»), ad validitatem alienationis, quae valorem a Conferentia Episcoporum definitum excedat, consensus Apostolicae Sedis requiritur.

Notae:

a) Ex praescripto can. 1530, § 1, 1° «ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur», inter alia, «Licentia legitimi Superioris, sine qua alienatio invalida est». In schemate proposito et approbato a Coetu Studiorum «De iure patrimoniali Ecclesiae», hoc praescriptum aliquantulum simplificatum apparet in can. 33, ubi dicitur: «Ad alienanda bona quae personae moralis ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur consensus legitimi superioris, sine quo alienatio invalida est». Iuxta can. 34, § 1 eiusdem schematis, legitimus superior, de quo in can. 33, «est loci Ordinarius qui audire tenetur Administrationis Consilium et consensum habere eorum quorum interest» (cf. etiam can. 1532, § 2-3). Pro Institutis tamen perfectionis huiusmodi consensus dari debet a competenti moderatore, iuxta determinationem iuris particularis. Hoc clarum apparet tam ex can. 534, § 1 Codicis vigentis quam ex variis canonibus praedicti schematis et praesertim ex can. 28 § 1, ubi expresse admittitur quod habentur bona ecclesiastica quae ex Ordinarii loci iurisdictione sunt legitime subducta. Propterea can. 34, § 1 salvatur quoad necessitatem consensus ad validitatem alienationis, sed non ad determinationem Ordinarii loci, cuius loco in Institutis perfectionis, praesertim iuris pontificii poni debet legitimus moderator ad normam iuris particularis.

b) In §§ 2-3 eiusdem canonis propositi (34), statuuntur normae quibus definiuntur superiores legitimi quorum consensus requiritur pro alienatione in diversis casibus. Summa pro qua sufficit licentia seu consensus Ordinarii loci (vel moderatoris ad normam iuris particularis in Institutis perfectionis), determinatur a Conferentia Episcoporum cuiusque regionis. Pro summa quae illam superat a Conferentia Episcoporum definitam sed quae sit infra duplum illius summae, consensus Ordinarii loci debet prius confirmari « a Commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia statuta » (can. 34, § 2). Si vero summa excedit duplum illius a Conferentia Episcoporum determinatae, « Superior competens etiam consensum Apostolicae Sedis ad valide agendum obtinere debet » (can. 34, § 3).

c) Normae propositae in can. 34, §§ 2-3 a Coetu Studiorum « De iure patrimoniali Ecclesiae » commode non videntur aptari posse Institutis perfectionis. Conferentiae enim Episcoporum in iure non apparent tamquam superiores Institutorum eorumque sodalium, etiam dumtaxat externi. Materiae in quibus Instituta perfectionis vel sodales ordinationibus Conferentiae Episcoporum subduntur sunt sat limitatae et expresse nominari debent. Non visum est opportunum in hac re delicata alienationis bonorum Institutorum haec subjicere Conferentiae Episcoporum vel, quod peius est, cuidam Commissioni ab eadem constitutae. Propterea Consultores parvi Coetus praesentem canonem proponunt post maturam considerationem. Norma est sat simplex et facilis in praxi. In alienationibus ab Institutis faciendis, si summa non superet illam a Conferentia Episcoporum illius regionis determinatam, sufficit consensus moderatoris competentis ad normam iuris particularis. Si vero illam summam superet, semper recurrendum erit ad Apostolicam Sedem. De alienatione rerum praetiosarum nihil in hoc canone dictum est quia etiam in Coetu Studiorum « De iure patrimoniali Ecclesiae » quaestio non fuit definita et manet sub iudice (cf. can. 34, §§ 2-3).

Canon septimus

In testimonium caritatis et paupertatis, Instituta, praescriptis iuris particularis servatis, largitiones et eleemosynas facere possunt.

Notae:

a) Can. 537 Codicis Iuris Canonici, qui modo negativo fuit formulatus, non videtur bene concordare cum spiritu et verbis Concilii Vaticani II. Dum enim in can. 537 dicitur: « Largitiones... non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia iusta causa, de venia Superioris et ad normam constitutionum », ac si Legislator aegre faciat has concessiones sub multiplicibus cautelis, Patres Concilii e contra, commendant Institutis perfectionis: « Instituta ipsa... libenter ex propriis bonis aliquid conferant ad alias Ecclesiae necessitates et egenorum sustentationem, quos religiosi omnes in visceribus Christi diligant » (Decr. *Pefectae Caritatis*, n. 13). Quapropter, Consultores parvi Coetus opportunum duxerunt canonem proponere qui formulationem magis positivam et magis placitis Concilii consonam haberet.

b) In schemate Coetus Studiorum « De iure patrimoniali Ecclesiae » positus est can 26, qui de eadem materia agit: « Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est administratoribus bonorum ecclesiasticorum de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christianae caritatis facere ». Cum hoc praescriptum sit generale et propterea applicabile etiam administratoribus Institutorum perfectionis, videretur inutile canonem specialem de hac re in hoc titulo quarto Primae Partis Schematis « De Institutis perfectionis » ponere. Quamquam hoc sub quodam aspectu verum sit, Consultoribus parvi Coetus visum est saltem opportunum talem canonem hic inserere propter peculiarem positionem Institutorum perfectionis eorumque sodalium. Nam, propter perfectionem ad quam sodales ex vinculo assumpto tendere tenentur et propter professionem paupertatis, etiam modo collectivo exprimenda, Instituta et sodales videntur magis quam alii obligari ad largitiones et eleemosynas faciendas. Nam Patres Concilii monent ac iubent: « Quamvis instituta, salvis regulis et constitutionibus, ius habeant possidendi omnia necessaria ad vitam temporalem et opera, omnem tamen speciem luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis vitent » (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 13). En etiam ratio quare canon supra positus indolem magis amplam quam supra citatus can. 26 schematis Coetus Studiorum « De iure patrimoniali Ecclesia » habet.

Romae, die 1 mensis aprilis 1971.

Relator

APPENDIX

Ad Relationem (introductivam) Nonam in qua, pro commoditate Rev.morum Consultorum et meliore intelligentia canonum in hac Relatione propositorum, transcribuntur quidam canones Schematis « De iure patrimoniali Ecclesiae ».

1. Pro recta intelligentia can. 1 nostri schematis, transcribitur can. 10:

« Subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad normam iuris est quaevis persona moralis, sive publica sive privata, quae vel ex iuris praescripto vel ex speciali competentis auctoritatis ecclesiasticae concessione in iuridicam personam erecta est » (cf. nostram notam *d*) ad can. 1).

2. Ad illustrationem can. 4 nostri schematis, transcribimus can. 22:

«§ 1. Ordinarii est, postquam Consilium administrationis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive communis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum excedant.

§ 2. Administratores invalide ponunt actus qui fines modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem scripto dandam impetraverint.

§ 3. Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, Ecclesia non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis. De actibus autem ab eisdem administratoribus illicite sed valide positis respondebit Ecclesia, salvo iure recursus contra illos, qui damma eidem intulerunt» (cf. nostram notam a) ad can. 4).

3. Ad inclusionem in nostrum Schema can. 5 iustificandam, referimus can. 25:

«§ 1. Omnes administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur.

§ 2. Exinde debent:

1° vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant, initis in hunc finem, quatenus opus sit, contractibus absecurationis;

2° praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;

3° reditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere *exactoque tuto* servare et secundum fundatoris mentem aut legitimas normas impedere;

4° foenus vel mutui vel hypotecae causa solvendum statuto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem quam citissime redimendam curare;

5° pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in fines ecclesiae vel instituti occupare;

6° accepti et expensi libros bene ordinatos habere;

7° rationem administrationis conclusivam quotannis componere atque ad Ordinarium transmittere;

8° documenta et instrumenta, quibus iura Ecclesiae aut instituti in bona nituntur, rite ordinare et in archivo convenienti et apro custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo Curiae deponere.

§ 3. Rationes etiam praeventivae ab administratoribus quotannis componendae enixe commendantur.

§ 4. De rationibus praeventivis provideat ius particulare tum quoad eas praecipiendas vel commendandas, tum quoad modos quibus eaedem sint exhibendae» (cf. nostram notam ad can. 5).

4. Ad intelligentiam eiusdem can. 5 schematis nostri requiritur transcriptio can. 28:

«§ 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici quorumvis bonorum ecclesiasticorum, quae ex Ordinarii loci iurisdictione non sint legitime subducta, singulis annis officio tenentur rationes Consilio administrationis exhibendi, quod, examine peracto, eas Ordinario tradat.

§ 2. De bonis, quae a fidelibus Ecclesiae offeruntur, administratores, nisi iusta causa aliud suadeat, rationes eisdem fidelibus reddere debent iuxta modum iure particulari statuendum» (cf. nostram notam ad can. 5).

5. In can. 6 nostri schematis explicite citatur can. 34. Sed necessarium est etiam hic referre can. 33:

Can. 33

«Ad alienanda bona quae personae moralis ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur consensus legitimi superioris, sine quo alienatio invalida est».

Can. 34

«§ 1. Legitimus superior de quo in can. 33 est loci Ordinarius qui audire tenetur Administrationis Consilium et consensum habere eorum quorum interest.

§ 2. Si tamen agatur de rebus *quarum valor summam* a Conferentia Episcopali pro sua cuiusque regione definiendam excedit (vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa), consensus loci Ordinarii *prius* confir-

mari debet a Commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia statuta.

N.B. De rebus pretiosis vel dicetur in § 2 vel dicetur in § 3.

§ 3. Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis (vel de rebus pretiosis), vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo summam a Conferentia Episcopali ad normam § 2 definitam, Superior competens etiam consensum S. Sedis ad valide agendum obtinere debet.

— alia formula § 3:

§ 3. Si denique agatur de rebus pretiosis quarum valor dimidiam excedit summam a Conferentia Episcopali ad normam § 2 definitam, vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo istam summam (a Conferentia Episcopali statutam), Superior competens, etiam consensum Apostolicae Sedis ad valide agendum obtinere debet.

§ 4. Si res alienanda sit divisibilis, in petendo consensu vel confirmatione pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus consensus irritus est.

§ 5. Ii qui in alienandis bonis ecclesiasticis consilio vel consensu partem habere debent, ne praebeant consilium vel consensum nisi prius exacte fuerint edocti tam de statu oeconomico personae moralis cuius bona alienanda proponuntur, quam de alienationibus iam peractis (cf. notam nostram *a*)-*c*) ad can. 6).

6. Can. 7 nostri schematis quamdam applicationem constituit Institutis perfectionis adaptatam can. 26 schematis Coetus Studiorum: « De iure patrimoniali Ecclesiae ». Unde opportunum est et hunc canonem hic referre. En can. 26:

« Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est administratoribus bonorum ecclesiasticorum de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christianae caritatis facere » (cf. notam nostram *b*) ad can. 7).

Romae, die 28 mensis aprilis 1971.

Relator